

etis publicae quorundam tam Flacianorum quam aliorum, quos huius nominis et factionis pudere incipit. Ex his igitur in eam catechesin nostram aliqui furioso impetu tanquam canes in saxa, quibus petuntur, cum latratu, aliqui etiam λαθροδηκταί irruerunt et alius hoc, alius aliud reprehendit, aliqui cum quid reprehenderent non reperirent suspectum tamen hoc et illud reddere interpretando conati sunt etiam de suis suspicionibus similes commouere alijs, ut sicut qui per vitra picta intuentur aliquid, idem videretur alijs quod ipsis. In quo tamen hoc bene cadit, quod ipsi se produnt, odio nostri et harum terrarum non veritatis studio ullo se facere, quicquid faciunt. Quae enim hactenus in libris corporis doctrinae inuadere ausi non sunt ea nunc, postquam nos transcripta inde edidimus, inuadere primum incipiunt, cum si pro falsis et pietati contrarijs habuissent, iam pridem illa in alijs damnare debuissent apparente adhuc τοῦ κόρυθος προσώπου. Atque ita simul, quid huius sit aut alterius, nouum aut vetus, orthodoxum aut haereticum, se neque agnoscere ostendunt, cum tamen iudicium sibi critici isti sumant de omnibus quasi censores quidam orbis terrarum, antiquitatis etiam piae et orthodoxae et martyrum Christi iniquissimi, ut erga nos eos tales esse minus sit nobis dolendum. Aliqui etiam ex accusatoribus illis furiosis compellati de ijs, quae in concionibus publicis aduersus nos declamarunt, negare ausi fuerunt priuatim ea, quorum tota concio aduersus ipsos testis est. Ita maledicentia illa ipsa se in hominibus leuissimis et vanissimis refutat et quid [A 3r:] constantiae in alijs ab ipsis expectandum sit vnumquemque hoc modo docere possunt. Sed quid domestici et externi alij fecerint aut faciant nunc non agitur. In Selneccero autem, quomodo ψευδαδελφία nos exerceat, quaeri necesse habemus coacti ipsius culpa, cum de homine secus videamur meriti et parcere ei cuperemus, si per ipsum liceret. In Catechesi igitur nostra ponitur interrogatio et responsio quaedam his verbis:

„Vbi extat confirmatio articuli de ascensione Christi ad coelos? Respond.

Actorum primo describitur historia ascensionis: „Videntibus illis eleuatus est et nubes suscepit eum ab oculis eorum.⁹ Et Acto. 3. „Oportet Christum coelo capi vsque ad tempora restitutionis omnium.¹⁰ „Intelligatur autem ascensio, vt sonat litera et de corpore et corporali locatione. Ascensio fuit visibilis et corporalis, et semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse, vbicumque vult, et ascensio corporalis facta est sursum.¹¹

Hunc locum arripuit D. Selnecceri censura atque ita et criminose et suspiciose aduersus haec disputat, ut iugulum petere videatur eorum, quibus fidem, dilectionem et venerationem se debere non ignorat. Totam quidem Saxoniam

⁹ Act 1,9.

¹⁰ Act 3,21.

¹¹ Philipp Melanchthon, Enarratio epistulae Pauli ad Colossenses (1559), in: CR 15, 1271.